

Cappadociam; à Septentrione Pontum Euxinum. Ad Pontum Euxinum Paphla-
gonia regio sita est, Galatæ à Celtis oriundi, quos Græci Galatas, Latini Gallos di-
xerunt, ad hos Diuus Paulus scripsit. Eam quidam Gallogræciam uocant, sub magno
Thurca est. Eius ciuitates sunt Sinope 63.30.43.0, Amifus 64.30.43.5. Pom-
peiopolis 62.0.42.0. Laodicæa 62.0.39.4. Appolonia 61.40.39.45. Pama-
phylia terminatur ab occasu Lycia ac Asia; à septentrione Galatia; ab ortu Cilicia
& Cappadocia; à meridie Pamphylico mari. Sub Thurca sunt, urbes eius (de quibus
in Actis Apostolorum habetur) sunt perga 62.15.36.55. Attalia 62.15.36.30.
Cappadocia terminatur ab occasu Galatia; à meridie Cilicia, ab ortu Armenia mi-
nore, & superne etiam maiore: à Septentrione Ponto Euxino. Clarissime eius ciui-
tates sunt. Trapezus, quæ & Trapezonda 68.50.43.5. Themyscyra 65.10.43.5.
Amasia, Strabonis patria 64.30.42.0. Armenia minor, à Septentrione & occa-
su habet Cappadociam; ab ortu Armeniam maiorem, distinctam, ab ea Euftrate flu-
mine, à meridie Ciliciam. Hæc etiam Ararath dicta, à montibus eius celeberrimus,
de quibus in libris regum. Fertur etiam in his montibus Archa Noe quieuisse dilu-
uio finito, præclaras habet ciuitates, Satalam 69.50.42.10. Nicopolim 69.20.41.
40. Melitenam 72.0.39.10. Nyssam 69.20.38.40. Cilicia terminatur ab occa-
su Pamphylia, à Septentrione Cappadocia, & minore Armenia, ab ortu montanis
Syriæ; à meridie mari Issico. Eius urbes præclare, Tarsus Diui Pauli patria 67.40.
36.50. Pompeiopolis 67.15.36.40.

De Sarmatia in Asia, Colchide, Iberia, Albania, & Armenia maiore.

CAPVT XV.

Sarmatia Asiatica terminatur à Septentrione terra incognita Ptolemeo,
sed nunc ultra ad Septentrionem terra est, ut in globo Geographico
cernere licebit; ab occasu Sarmatia Europæ, Tanai fluuio, Meotide pa-
lude, ac Cimmerico Bosporo, à meridie Euxino mari, Colchide, Iberia, ac
Albania, ab ortu Scythia intra Imaum montem, & mari Caspio. In hac
sunt Amazones. Hæc hodie Tartaria dicitur, nam etiam sub magno Tartaro, uul-
go Cham dicto, sunt. Nominantur autem omnes septentrionaliores passim Scythæ.
Huius regiones sunt, Ruffia alba, Cassana, Cremania, Bulgaria magna, Alania,
Ylandia. Ciuitates autem habet Sala 84.30.54.55. Tyramba 68.30.49.
15. Euanthia dicta 68.40.47.15. Colchis inter montana posita, hodie Zi-
quia dicta, magnæ Tartariæ portio, celebrem habet urbem Dioscuriam 69.0.
46.45, hodie Negropontina dicta. Iberia etiam undiq; montibus septa, termi-
nos eius constituunt. Albania montibus septa, à Septentrione habet Sarmatiam,
quemadmodum & Iberia, ab occasu Iberiam, ab ortu mare Caspium, à meridie
Armeniam maiorem, sicut & Iberia, urbem clarissimam habet Gætaram 85.5.
46.0. Armenia maior, terminatur à Septentrione Colchide, Iberia ac Albania, ab
occasu minore Armenia ac Euftrate fluuio, parte etiam Cappadociæ, ab oriente
mari Caspio & Media, à meridie Mesopotamia atq; Assyria, hæc hodie Geor-
gia & Mosalia est. In ea sunt 18. episcopatus, sunt Christiani scismatici, omnis po-
pulus tonsus ut clerici apud nos. Iacobitæ ac Nestoriani sunt, sub Patriarcha qui
Catholica dicitur. In hac oritur Eufrates, Araxes & Tigris fluuij uulgatissimi.
Omnes hæc regiones magnæ Tartariæ adnumerantur, urbes præclarissimæ sunt

24 iij Thelbala